



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 84. Pontificis liberalitas erga Equites Melitenses.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul XVI.  
A.C. 1566. tam levis essent momenti, ut copias conducere, armisque prompte instruere longe magis operæ pretium foret: igitur proxima die vigesima octava Novembris Viennæ Ordinum comitia habebantur, in quibus Cæsar Deputatis significabat, quod eis nil reliquum esset, nisi ut omni suppellectili vendita ex Imperii ditionibus emigrarent; satis enim compertum habebat Imperator, quod insuperhabitis suis sollicitationibus eorum, quæ petebat, nihil ab illis impetrare posset, nisi prius Augustanam confessionem profitendi libertatem eis indulgeret.

His peractis Viennensis conventus solvebatur, moxque Imperator in Bohemiam, & Hungariam ibidem suppeditas contra Turcas collecturus contendit, ubi etiam admodum valida ex utroque regno auxilia contrahens, ardentem populos hortabatur, ne ab avita Religione discederent, sed potius Deo tanquam supremo suo Domino immota fide deservirent.

## §. LXXXIV.

*Pontificis Liberalitas erga Equites Melitenses.*

*Thu l. 39.*  
*Verthot hist.*  
*de Malthe. t.*  
*4. p. 89. l. 13.* **S**upremus Melitensium equitum Magister Joannes de Valeta, cum in illa insulæ parte, ubi sancti Elmi, seu Hermetis

metis propugnaculum in nupera obsi- <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 dione a Turcis captum exurgebat, no- <sup>A. C. 1566.</sup>  
 vam urbem construere statuisset,  
 ad summum Pontificem, Franciæ, His-  
 panix, & Lusitanix Reges, aliosque I-  
 talix Principes literas dedit, quibus  
 exposuit, quod quidem Melitensem In-  
 sulam a Turcarum insultibus liberarit,  
 necessitas tamen deposcat, ut iteratis  
 eorumdem aggressionibus resistendo pa-  
 rem se redderet, si forte Barbari rur-  
 sus Insulam aggredi tentarent: eapro-  
 pter ad omnes hosce Principes novæ  
 urbis delineationem a se factam trans-  
 misit. Commendabant omnes Magni  
 Magistri fervorem, eidemque læto pror-  
 fus animo suppetias ferebant, ac qui-  
 dem Pius V. Pontifex singulis mensi-  
 bus mille aureos assignabat, donec pro-  
 pugnaculi ædificium ad certam altitu-  
 dinem ascenderet, atque infidelium  
 impetus sustinendo par esset. His sup-  
 petiis fretus Magister novæ urbis fun-  
 damenta jacere cæperat, hoc labore per  
 duos ferme annos continuato, quo toto  
 tempore Magister suis semper opera-  
 riis assistebat, ac medius inter fabros  
 lignarios, & Murarios prandium sume-  
 re, imo non raro Legatos excipere, jus-  
 saque dare cernebatur: porro hæc urbs  
 ab ipsius Magistri nomine Vallettana  
 civitas vocabatur Monti-Scabaræ im-

Sæcul XVI.  
A. C. 1566.

posita, eaque in suo ambitu Palatium, armamentarium, valetudinarium, Ecclesiam Prioratus ad Sanctum Joannem, necnon hospitia, seu Nationum diversoria complectitur præter propugnaculum sancti Elmi, quod in extrema hujus urbis parte constructum ad mare protenditur, atque utriusque portus aditum tuetur.

§. LXXXV.

*Confessio Augustana Magdeburgi  
acceptata.*

Thuan. l. 38.  
n. 8.

Quantumvis summus Pontifex veram religionem conservare immoto studio niteretur, non tamen errorum progressus in Germania, minus in Saxonia Episcoporum opera sisti poterat, quippe Sigismundus quoque Brandenburgicus Joachimi II. Electoris Filius, postquam per quatuordecim annos Magdeburgensi Ecclesiae Archiepiscopus præerat, Protestantium sectæ nomen dabat: morte tamen plectebatur eodem tempore, quo novos Ecclesiasticæ disciplinæ ritus invehere meditabatur: eo autem defuncto, cum Canonici pariter novitatum studiosi essent, electione facta subrogarunt Joachimum Fridericum tum unicum Joannis Georgii Brandenburgici Electoris Filium, qui recens electus Archiepiscopus ex Canoniorum consilio inchoatam a Patruo suo doctrinæ,